*

DISPUTATIO MEDICA INAUGURALIS,

De

ABSTINENTIA MEDICI,

Quam

DEO TER OPT. MAX. FAVENTE,

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,

SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DN. PHILIPPO WILHELMO,

PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGICO, Cætera,

CONSENSU ET AUTORITATE GRATIOSISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ,

IN ALMA REGIA FRIDERICIANA,

SUB PRÆSIDIO

DN. GEORGII ERNESTI STAHL,

MEDIC. D. ET PROFESS. PUBL. ORDINAR. h. t. FACULTAT. DECANI,

DN. PATRONI PRÆCEPTORIS AC PROMOTORIS SUI omni honoris atque obſervantiæ cultu ætatem devenerandi

PRO LICENTIA

Summos in Arte Medica Honores, Jura & Privilegia DOCTORALIA more Majorum capeſſendi

Ad diem April. Anno M DCC IX.

horis ante & pomeridianis

IN AUDITORIO MAJORI

Publico Eruditorum Diſquiſitioni ſubmittet

Gottfried Gateldt/

Vratisl. Sileſ.

HALÆ MAGDEB. LIT. CHR. HENCKELII ACAD. TYP.

VL.

PROOEMIUM.

QUemadmodum bene, Autore antiquiſſima Aſclepiadarum gente, ut ex hâc etiam *Hippocrate*, commonefaciunt praxeos Medicæ Commentatores, quod nihil in hâc *nequè temerè*, *nequè timidè*, agere, conveniat; nec etiam ὑπερορᾶν ſeu *prætervidere*, vel liceat paſſim, vel deceat: Et hæc ipſa res in exemplis variarum ſpecierum, omninò locum habet digniſſimum: Eſt tamen utique digna, quæ etiam, ut in genere, conſideretur, ut inde demum ad applicationem per ſpecies, aditus quidem pateat. Interim generalis etiam ratio, quamobrem non ſolùm expediat, ſed etiam paſſim neceſſe ſit, ſic, & non aliter, agere, prudenti penſitationi innoteſcat. Equidem de Timiditate, aut planè ignaro neglectu, res adeò clara apparet, ut nusquam opus videatur peculiari præmonſtratione: Certè enim Artificis nomen minimè meruerit, qui vel non auſit, quæ ſuarum ſint partium in effectum deducere: Nequè verò etiam de ſolâ nuda atque ſimplici temerariâ audaciâ, ſive intelligenda, ſive u-

nicè vera atque neceſſaria, eſt hæc cohortatio: Quas proinde omnes res, ut ſatis per ſe luculentas & conſpicuas, ulla prolixiore deductione minimè dignas judicamus. Supereſt autem omninò talis quidam gradus atque ordo temerè exercendæ artis, qui, ut incommoda nequaquam levia involvere & poſt ſe trahere poteſt, ita meretur ſanè tanto juſtiorem conſiderationem, quantò faciliùs error aliquis obrepere poteſt, quaſi nuda Officii Medici juſta obſervatio atque executio ibi ſubeſſet, nequaqnam autem ibi aliquid temerè fieri, aut illorum quæ reverà fiunt, aliquid hic prætervideri, poſſit. Intelligimus nempe non ſupervacuos ſolum, ſed etiam importunos, imò alienos, artis conatus atque auſus, non ibi ſolùm, ubi illis in veritate nihil opus eſt: Sed ubi etiam ea, quæ Ars perpetranda ſui ita ducit officii, jam ſponte & affatim imprimis, imò μετὰ σπουδῆς, peraguntur: Adeoquè arte etiam rem eandem agere velle, nihil certe ſit, quam impetum totum, præter omnem proportionem, exacerbare. Deinde habemus etiam præ oculis, malè intellectos ipſius Naturæ conatus atque actus ſalutares; quibus contrà procedere, ignara inſolentia impellit: adeoque pluribus reſpectibus incommoda imò damna, machinari. Hæc res, cum re vera quam maxime ſit tota Practica, digna nobis viſa eſt, quam THEMATIS INAUGURALIS loco tractaremus, quod ſub Lemmate ABSTINENTIÆ MEDICI, ſeu THERAPIÆ NEGATIVÆ, contemplabimur.

Rogamus autem DEUM Ter Optimum Maximum, ut nobis etiam in his, quæ ad Omittenda pertinent, indicandis, & ſcientiam, & debitam prudentiam, pro enucleatione digna & perſpicua, clementiſſime largiatur.

Theſ. I.

THES. I.

CUm Medicina *Artis* nomine ſalutetur, *Ars* autem deſcribi ſoleat, quod ſit *habitus, cum recta ratione effectivus*, obvium ſane hinc eſſe poteſt intellectui, quod nihil hac etiam *arte* effici debeat, quin *rectæ rationis* judicio & decreto debitè nitatur, eique non modò conſonum, ut *à poſteri*, ſed etiam, ut *à priori*, ſuperſtructum exiſtat. Cum autem omnis actio, quæ *rationis* interventu abſolvi debet, non ſolùm *rem ipſam*, quæ perpetrari debeat, complectatur; ſed etiam *modum*, *quo*, & *ad quem*: Tum *media*, *per* quæ: Quin *finem*, *ad*, & *propter* quem, actio tota gubernanda veniat atque dirigenda, unà involvat: Eſt propterea ſanè hæc multiplex, *rationis* intervenientis quaſi *conſultatio* atque *applicatio*, non tantùm *utilis*, ſed & maxime *neceſſaria*.

II.

Habet autem hæc res omni modo uſum, tantò majorem atque juſtiorem in *Medica arte*, quantò dignius non ſolum, ſed etiam magis peculiaris indolis, eſt ejus Subjectum, nempe *Corpus* humanum, *vivum* non ſolum, ſed etiam in ipſis adhuc *actibus* Therapevticis, equidem ipſi *arti* συνεργον ſeu *cooperans*: Extra verò inſignes admodum difficultates, ita etiam ἐνεργον, ut *artis adventitiæ* operam, ne quidem exſpectet, aut certè non *flagitet*: *Operoſitatem* verò valdè *activam* ejusdem, etiam *aſpernetur*, imo *ægre ferat*.

III.

Hæc res, licet è *vera* Theoria *Phyſiologica* æquè atque *Therapevtica*, nota eſſe poſſit, imò certe etiam eſſe debeat; Cum tamen etiam novo opus eſſet ſcrutinio, ubi nam hæc talis Theoria legenda occurrat, aut audienda? Non dubitamus, fore aliquod operæ pretium, ſi nos etiam ipſi, illam, qua fieri poteſt brevitate, memoremus. Conſiſtit autem in eo, quod tota quoque *Conſervatio Vitalis*, *Vita*, inquam, atque *Sanitas*, verſentur circà illud ipſum *Objectum*, quod *Medica* etiam *Ars* ſibi unicè præfixum habet; nempe rerum, quæ Cor-

poris *Conſervationi* detrimentum afferre valerent, perpetuam amolitionem ſeu *remotionem*, abſolvendam per *Segregationem* ſeu *ſemotionem* earum, à variis *intimioribus*, locis, atque partibus, Corporis: Imò ultimo, *expulſione* ſeu *Emotione* earundem è toto Corpore: Ut hoc ita, tandem penitus *amotis alienis*, & quam maxime planè *noxiis*, in ſua *homogeneitate* retineatur: Imò verò, cum tota ejus conſtitutio, ad *labefactationem*, non prona magis, quam quaſi præceps, exiſtat; quicquid etiam ipſi de integritate ſui *decedit* atque faticſcit, etiam *reparetur*, quin *reſarciatur*; Et habet omnino hoc ultimum, reſarciendi, inquam, ἐνέργειαν, Subjectum hoc Medicinæ, *Corpus* inquam *Vivum*, ita *propriam* ſibi *ſoli* & *uni*, in reſpectu ad *artis* qualemcunque opem aut operam, ut etiam *Ars*, imprimis *uſitata* & ſtrictiore ſenſu ſumta, *abſolutè & ſimpliciter nihil*, *directè* atque *poſitivè*, ne *conferre* quidem hic poſſit, ne dum *exhibere* aut per ſe *præſtare*.

IV.

Hæc Operatio verè *Energetica*, in Corpore vivo indeſinenter fiens, immo ipſum actum verum *Vitæ*, quatenus *de Corpore* verè dicitur, abſolvens, uti *perpetuis*, tanquam *momentaneis*, *ſucceſſibus*, exercetur, placida & tranquilla Methodo & proportione, quando res illæ in quas agit, moderata *Quantitate*, atque temperata *Qualitate*, corpori occurrunt aut concurſant: Ita inſtruitur etiam tali *proportionato augmento*, quali ad gravandum Corpus, aut ipſi plane nocendum, res horum Effectuum compotes increbeſcunt. Quo nempe intuitu, naſcitur etiam ſpontanea talis, ab ipſa propria *immanente* corpori, *Energia vitali, oppugnatio*, imo *Expugnatio*, talium *alienorum* & *adverſorum*, atque ita *Avtocratica*, ſine adventitio cujuſcunque artis adminiculo, *Therapia*, *Vindicatio* nempè Corporis, in ſtatum verè *illibatum*, ſanum & *integrum*.

V.

Sicut autem hunc etiam actum, auctiorem, in firma rei

Veri-

Veritate, non æque *novâ* planè, & vel *ſubalterna* ſpecie, nedum toto *genere*, *inſolita* quacunque, *actione*, aut agendi *ratione*, perpetrat, hæc, qualiſcunque tandem cenſeatur, *immanens* certè VIVO corpori, imò hoc tale reddens, ENERGIA; ſed ſolùm *proportionato augmento*, & *proportionata Directione* (ſecundùm *loca*, *tempus*, *& ordinem*,) etiam ad ſanum ſtatum *uſitatarum* ſibi operationum: Ita quantumcunq; etiam ferè (exceptis planè *ſingularibus* caſibus, & ſanè incomparatione *rariſſimis*,) augeſcant objecta, tam parum deſinit, incumbentib9 *novis* his difficultatibus ita reſiſtere & contra obniti, quam parum ab ipsâ *ſimplici* VITALIS *Conſervationis* Adminiſtratione generali, per illas difficultates averti ſeſe patitur: ut potiùs harum ita omninò *præſtandarum*, *gradui*, omni modo hoc adhuc *addere* tentet, imò contendat & elaboret, quod illi incumbenti oneri, ſi non exquiſitè par, & tota ſpecie *proportionatum*, tamen propiore genere *idoneum*, haberi mereatúr.

VI.

Hæc itaque eſt illa *συνέργεια*, certa atque vera, quam ARS omni modo, non modo præſentem agnoſcere atque intelligere, & *intentione* ad minimum, ſi non ſemper tota *inventione*, *utilem*, ſed etiam ita ſibi *neceſſariam* agnoſcere, debet, ut ſi hæc reverà *deſit*, aut *deficiat* atque *langveat*, aut *exerret*, Ars ipſa etiam, non ſolùm in multis, ſed etiam *ſonticis* quibusque caſibus, *ipſa ex ſe*, NIHIL poſſit.

VII.

Sicut autem res dicto modo omninò ſeſe habet, ut *συνέργεια* hæc, etiam ingruentibus *extrà ordinem* Oeconomiæ corporis, moleſtiis, aut periculoſis rebus, *Proportionem* aliàs *uſitatorum* ſuorum VITALIUM ACTUUM, adverſus has *intendat*, atque *dirigat*; imò verò, ut iterum meritò monemus, communiſſimè omnium hoc omninò certiſſime ita præſtet atque ſervet; neque, niſi longe rariſſimis caſibus, hoc eximiè, ne dum plenariè, *negligat*: Ita quidem etiam ſimpliciſſimæ

con-

conſiderationi dilucefcit, quod, ubicunque hæc vigil *Propugnatio* ſuarum neceſſitudinum, *ſpontanea*, non tam ſperari, quam etiam ſentiri, & agnoſci poteſt, ibi certe *novus* aliquis, *adventitius, arbitrarius, impulſus*, nedum *Impetus*, locum habere minimè poſſit: Si non præter omnem *proportionem*, non tam procedere, quam verè *excedere*, velimus.

VIII.

Confirmat autem hanc contemplationem tanto magis, juſta æſtimatio indolis veræ METHODI, tam SPONTANEÆ hujusmodi, de qua maximè loquimur; quam *artificialis*, quæ tali adjungi aut in ſubſidium ſubjungi poſſit aut debeat. Cum enim immenſa ſapientia omnipotentis Creatoris, Oeconomiam Corporis animalis, eo artificio inſtruxerit, ut vere *Mechanicè*, nempe ſolis *motibus*, & *Reſpectibus* atque *Poteſtatibus motoriis*, illa quæ corpori ſubtiliter *noxia* eſſe poſſunt, ſi in hoc ſemel inſinuata ſint, ex illo iterum exterminari poſſint; huic vero ſcopo utiquè, præter *viarum* illæſam adhuc conſtitutionem, etiam tale moderamen *Motuum* & *directionum* adhibendum veniat, quod *proportioni Materiæ*, ad *Loca* in quibus hæret, & *vias*, *per* quas removenda, & deniquè expellenda, venit, adhibeatur, quæ juſtos totius cœpti ſucceſſus rectè perſequatur: Quæ nimirum Moderatio, non ſolum in genere *Tempus* involvit; ſed in ſpecie exquiſitam *Diſtributionem Actionum* harum *motoriarum, in* & *per* Tempus: Qua in re nihil *prævertere*, nedum *pervertere*, aut intempeſtivo impetu tentare, eſt integrum; Poteſt inde, nullo etiam negotio, colligi & agnoſci, quanta opus ſit & *Peritia* harum Rerum, & *prudentia*, ne aliquid hoc ipſo *reſpectu, temporis*, inquam juſta *Proportione* & ſucceſſibus neceſſariis, perperam agatur.

IX.

Ubi nempe, cum hoc etiam ipſo intuitu, *ſpontanea* illa propria *Vitalis* Ἐνέργεια, non ſolum in genere, *concurrere* ad Conſervationem Oeconomiæ ſuæ ſoleat; ſed etiam inſpe-

ſpecie, *ordinem* illum ad neceſſarios ſucceſſivos proceſſus, (tam *Materiæ*, quam ſuis *viis*,) *proportionatos*, diligentiſſime obſervari atque ſequi ſentiatur: Tanto minus certè convenerit, etiam in hac fortaſſis parte, *præpoſteris* aut *alienis* ſtimulis, incondita *arte*, aliquid machinari, adeoque nihil certius, quam per ſe bene, imò optimè, *eventuros convenientes* ſucceſſus, *peſſundare*, ac evertere. Hæc itaque *Abſtinentia* Medicinæ, de qua loquimur, prima, atque princeps, ut ſpontaneam illam ἐνέργειαν non negligat; *præſentem* atque ſatis *alacrem*, non temere IMPELLAT, & plus juſto *exagitet*: debitos *ordinatos ſucceſſus*, in *præceps* agere, non liberum ſibi ducat: ne dum præpoſteris concitationibus, *immaturam* Materiam exagitet, *Viarum* uſum, *Materia* nondum idonea, intempeſtivè efflagitet: Adeoque nec ipſa quicquam, quod prodeſſe poſſit, perficiat, & inſuper etiam *ſpontaneos* illos *ſalutares* conatus, temere *turbando*, *irritos* & inanes reddat,

X.

Ita nempe *prima* pars juſtæ *Abſtinentiæ Medici*, conſiſtet in eo, ut, ubi jam *ſponte* illis, quæ neceſſaria ſunt factu, in- „
vigilare ἐνέργειαν Vitalem, deprehendit; ibi ille potius, â *poſi-* „
tivis artificiis ſibi temperet ac abſtineat, quàm ut vel *nimium* „
agat, vel *ſupervacaneuum*, vel alio modo *irritum* atq; perpe- „
ram ceſſurum. *Secunda* vero ratio, quam Medicus *abſtinen-* „
do ſectari & ſervare debeat, verſatur in eo, ne Medicus *agenti* „
non ſolum, ſed etiam *rectè* ac decenter agenti *Vitali Energiæ*, „
per Imprudentiam imperitam OBSISTAT. „

XI.

Enim verò, patet certè nimiò latius, quam vulgo cogitatur, hujusmodi Cautelæ ambitus. Pendet autem communisſime omnium, â peſſime intellecta atque explicata variarum Oeconomiæ corporis *conſervatoriarum actionum, proportionatis intenſionibus*, ſi non univerſa *Specie*, aut exquiſitiſſimo *gradu*, at *genere* tamen, non *juſtiſſimis* ſolum, ſed etiam, ne obſtante quidem aliquali *Exerratione*, omninò *ſalutaris* Eventus aſſequendi compotibus.

XI.

Sicut enim revera non aliunde, niſi è mala intellecta univerſa Indole *conſervatoriarum vitalium* actionum, opinio illa fluit, quod, quicquid *ordinarium gradum* uſitatarum commotionum & Excretionum transmigrat, ſtatim *in ſe* pro *præternaturali* habendum veniat: Cum etiam *ordinarii* gradus Secretiones atque Excretiones, & ad has pertinentes *motitationes*, omni modo Res vere jam *præter Naturam* conſtitutas reſpiciant; Tanto juſtius itaque, *augeſcentibus* hujusmodi *cauſis*, etiam *proportionata*, nempe *auctior*, opponenda veniat *excretoriarum* Commotionum ſeries: Ita certe nullum majus occurrere poteſt Medico offendiculum, quàm ſi hos *æquiſſimos* Naturæ *Conatus*, & juſtos in genere, imo frequentisſime in ipſa ſpecie, *apparatus*, pro objecto directo ſuæ *artis*, quod *oppugnare* atque *expugnare* debeat, ſibi temere proponat atque capeſſat.

XII.

In hac certè Claſſe, uti non ſolum variæ *Sanguinis* Excretiones, *Vomitiones*, *Alvi fluxus*, *ſudationes*, *Urinæ* quantitate & qualitate mutationes: Imò verò varii ad has res *Conatûs* atque *Apparatus*, & ſub impeditiore ſucceſſu coorientia varia *Molimina* & *Phœnomena*, referri debent; Ita exemplum omnibus reliquis palmam præripiens & antecellens, ſunt ipſæ FEBRES omnium generum. Quarum, atque penè omnium per ſingulas rerum, directam aliquam *cohibitionem* ac *oppreſſionem* machinari, adeo ABSTINERE debet Medicus, ut, niſi *Cauſas* illarum ARTE ſua auferre valeat, ipſas certe hujusmodi *actiones*, *promovere* potius debeat, ut *Excretiones*, ad quas contendunt, rectè ad *effectum* perducere posſint, quàm ullo modo illis quidquam moræ *objicere*. Sicut enim ſublata vere *cauſa* illa, circà quam occupantur, hujusmodi Conatus excretorii, facillime atque conſtantisſime conquieſcent: Ita, *cauſa* non ablata, *actiones*, *ſalutari* ſcopo, his exterminandis deſtinatas, ſupprimere ac everte-

re,

re, fuerit, quicquid contra ipſos tales MOTUS, directè & ſimpliciter adornatur.

XIII.

Tertium autem gradum *Abſtinentiæ*, Medicus agnoſcere debet, *alienorum*, imprimis autem *irritorum* cœptorum, omiſſionem. Quibus nempe tentaminibus vel opportunitas ſpontaneæ Naturalis Energiæ poterat, imò aliquando debebat, ſublevari; *alienis* interim ſuſceptis, temerè ita negligitur: aut, quod non facilius ſolum, ſed etiam hinc longe familiarius, evenit, ipſæ etiam utiles *Intentiones* atque *contentiones* ſpontaneæ, ita turbantur. Nulla verò neque magis præceps eſt in hunc eventum, neque etiam trita magis atque uſitata, via, quam perverſa opinio de *Poteſtate artis*, ad *cauſas* morboſas ſimpliciter *corrigendas* atque *ſubigendas*: Quod quidem opprobrium imprimis ex recentiore officina *Pharmaceutica*, ſub vanis illis titulis *Phyſico-Chymico-Mechanicarum Potentiarum*, in recentius dilaudatis rudibus quibusdam præparatis (*Martialibus, Volatilibus, aromaticis*,) quærendarum, Medicinæ acceſſit.

XIV.

Proxima verò, poſt hanc, aberrandi ſemita, atque diverticulum, eſt *Remediorum*, cauſas illas morbidas etiam verè *utiliter* aggredientium, ſed vel in ordine ad *Præparationem*, vel ipſam commodam *evacuationem*, valiturorum, inepta & ignava *Adminiſtratio*, extra *Tempus*, & qualiacunque adminicula, ad *ſubordinatum* utilem hujusmodi Eventum quaſi deducentia. In qua nempe re, certisſimum verſatur *Artis* veræ Medicæ Arcanum; nempe METHODUS, *convenientia* Remedia etiam *convenienter* applicandi: Eo *tempore*, eo ordine, ea *continuatione*, ea *repetitione* aut *alternatione*, iis *adminiculis* toti ſcopo ſuccurrentibus, quibus tandem hic *ſcopus* verè & in ſolidum obtineatur: Qui autem ut *cognitus* recte ſit, abſolute utique neceſſarium eſt; nempe opportuna & rectè *matura exterminatio* è Corpore, ad quam

ita plurimæ bonorum Medicamentorum ſpecies, Materiam præparando, vias conſervando, leniendo, actionem autem *expulſoriam* nullatenus turbando, imo potius maturo tempore excitando, rectè profuturæ, ſi nullo ordine applicentur, nocebunt certius, quam proderunt.

XV.

Unde profectò *abſtinere* hîc, ab incondito ſuaſu & uſu, antiquiſſimum habeat Medicus. Quemadmodum autem ita *actum* agere, Naturæ inquam jam dum *alacri* atque *ſedulæ*, *ſtimulos* ſubjicere aut *impetum* injungere, *abſtinere* debet Medicus: Deinde vero etiam *contrarias* Naturæ *Intentioni*, ejusque *cohibitorias* & *oppugnatorias*, Medicationes evitare: Et, *tertio*, jam cavere, ne *bonis* remediis, quibus vere *ſuccurrere* poſſit bonis Naturæ Intentionibus, perperam utendo, vel nihil proſit, vel *turbas* etiam obiiciat: Ita proponet etiam ſibi ſummo jure, tanquam *Quarto* loco, abſtinere ab *artificiis*, ſine toties laudatæ Energiæ inquilinæ ope & *concurſu*, ſeu vera *συνεργείας*, perpetrandis.

XVI.

Loquimur autem de Medicina *Pharmacevtica*, non æque *Chirurgica*: Quam poſteriorem, varias utique neceſſarias pro tempore, *operationes* perpetrare poſſe, ad quas *directè* nihil ipſi *contribuere* poſſit *Natura*, Corporis Rectrix, valde evidens eſt. Quicquid igitur ita, ſine ſenſibili Naturæ hujus ipſius *Concurſu*, ſalutariter *peragere* ſibi proponit Medicus, cum uſitatiſſime, & fere conſtantiſſimè, in irritum cadat, prudentius certò ab illo abſtinuerit, quam illud ſibi propoſuerit. Habebit nempe in hac claſſe, quod ſibi temperet â *Credulitate* propriâ, & perſuaſione alienâ, circà MEDICINAM UNIVERSALEM, meros *irradiativas*, & propius *ſpirituales* quam *corporales*, Effectus, in *materialem* corporis Conſtitutionem inducendos. Imo, ſi vel maxime de *modo* agendi nulla occurrat Diſquiſitio, tamen circa *factum* ipſum, caveat ſibi ſedulo, a venditandis, imò vero vendendis

dis, ejuſmodi Efficaciis, quas inter *multa millia* Exemplorum, non tantum *uni* aut *alteri* ſolum, ſed etiam *ſolis* planè *primis*, obtigiſſe memorari valet: Et quidem tantum abeſt, ut ex *propria vi* ipſius Medicinæ talis, ſine Energia *inquilina* illa, ut potius, è rectè atque ſtudioſe collectis atque comparatis undique omnibus Circumſtantiis, *fiducia* exquiſitisſime ſingularis, imò *fides* ipſa, *divinæ actuationi* innixa, effectus talis compos facta, longè probabilius agnoſci posſit, quam ut Medicinæ tali, vis *immediata* ejuſmodi arrogari posſit, qualem etiam innumerabilibus Exemplis, nullam tueri posſit, ſed contrarium potius fateri teneatur.

XVII.

Non autem certe ita ſimplex atque otioſa eſt, ut videri poſſet, hæc *abſtinentia*, quin inſerviat, pro avertenda aliâ longe magis ſiniſtra, & maximo jure vitanda, abſtinentia. Quis enim non facile capit ac intelligit, quod vana hujusmodi *Credulitas* de *Medicinis univerſalibus*, mox avertat animum, & *abſtinere* faciat, ab omni operoſiore neceſſario ſcrutinio, tam veræ *Energiæ vitalis*, & omnium ejus rationum, quam omnis veræ *Methodi*, huic conſulendi & ſubveniendi, & cognitionis æquè ac adminiſtrationis, verorum Remediorum. Dum nempè vanæ hujusmodi ſpei acquieſcit iners animus, fore, ut una fidelia omnes Parietes dealbare, imò inſuper etiam mirabilem fieri, hac una arte obtingat. Cui rei Scandalum utique illud tantò magis portam aperit, quando futilibus quibuslibet, & rudibus etiam ſubinde, externæ ſpeciei Larvis atque fucis, â præconibus Materiæ Medicæ talia elogia ſcribuntur, ut ignavi animi vel ipſius, quod Germani aiunt, delectus faſtidio marceſcant. Sed abſit ut hanc camarinam commoveamus; ſuffecerit à talibus *abſtinentiam* ſerio commendaviſſe.

XVIII.

Ad hanc autem claſſem fas omnino nobis erit referre etiam illam *Animoſitatem*, licet non ſine *omni*, tamen ſine

directo, concurſu, Energiæ vitalis, morbos varios, aut variè, aggrediendi, per ita dicta *generoſa* Remedia. Quamvis enim minimè omnium diffiteamur, obtingere aliquando illum caſum, ut vel *languidior*, vel *timidior* atque *trepida*, Indoles, tergiverſatione longiore Apparatuum aut executionum *vividioris Motus eliſorii*, peccet: Monſtrabit tamen certiſſimè, decente animi attentione utentibus, Praxis ipſa, tum propria, tum aliena, ſine præjudiciis inſpectata, quod hujusmodi caſus nequaquam ita frequentes exiſtant, ut inde inſignem aliquam conſequentiam, ad quantumcunque familiorem talium Rerum uſum, formare, juſtum æquumque eſſe poſſit.

XIX.

Tanto magis autem arte adhiberi huc debet eximia illa Diſcretio, ſatis, niſi quidem plus ſatis, familiaris hodie illius Locutionis, inter talia doctos Practicos, dum, *ego vero*, ajunt, *in familiari uſu habeo Vomitoria*, aut *Purgantia*, aut *Venæ ſectiones* ſine diſcrimine, *febrifuga*, *Adſtringentia*, *Mercurialia* &c. Ubi nempe, nihil dando præjudiciis ullis hæc ſolum perpendere convenit, 1.) *Quot* Patientes talis Practicus habere ſoleat? 2.) *quales, teneros, delicatos ſenſiles*, *atoniis* jam affectos: an contra, *Quadratos, robuſtos, operarios*, etiam bona Energia vitali, ſeu *robore Naturæ* dicto, pollentes? 3.) an non *exempla* etiam nota ſint, *quæ non allegantur, odioſa*? 4.) Ubi etiam non exquiſite malè Negotium ceſſit, an propterea etiam *Uſui*, ne dum *neceſſarium*, fuiſſet, adeoque talibus caſibus *promiſcuè accommodandum*, hinc probari poſſit? 5.) imo, quot etiam aliis *ſubſidiariis*, *ſiſtentibus*, *ſedantibus* atque *ſopientibus*, *reſtaurantibus*, his ipſis artificibus porrò non uſus ſolum, ſed omninò verius *opus* ſit; ſine quibus ſubjunctis, omnia difficilius procedant, poſt tales auſus prægreſſos. Imò 6.) an etiam â talibus artificibus, Patientes, in genere *meliùs* habeant, in ſpecie *citiùs* convaleſcant, & *certiùs*, quam aliis, etiam plane diverſis Methodis: *Conſtantiùs*

tius etiam deinde valeant, inprimis ſi *ſedativis* turbas illas fulcire neceſſe fuit. Siquidem certe, ſi etiam alio tranquilliore modo, & longe minore Apparatu, non dicam *melior*, dicam ſolùm *idem*, Effectus obtineri valeat, non *generoſa* illa erunt, ſed *proterva* artificis, & faſtui potius, quam uſui tribuendus, ſpecioſus multorum ſubordinandorum Apparatus. Unde quidem etiam hic quam maxime valet illud, nec *temerè*, nec *timidè*, ſed *dextrè* atque *peritè*, alias autem ABSTINERE.

XX.

Poſſunt hæc propemodum ſufficere, pro *generaliore* conceptu *Abſtinentiæ Medicæ*; Quamvis autem etiam prolixè in *ſpecies* evagari, minime apud nos conſtituerimus, placet tamen aliqua adhuc ſubjicere, ad horum ordinem pertinentia. Conſulet itaque ſibi optimè Medicus: *Abſtinentia*, primo circa *Diviſionem* Medicinæ, ſi á *Chirurgiâ* ſtrictè dicta, nempe *manuali* operatione, ſibi temperet; niſi quidem huic ipſi rei, ſtricto vocabuli ſenſu, operam aſſiduam dederit, eique *innutritus* ita ſit, ut rem, omnino *frequenti uſu*, nempe Exercitio multiplici, neceſſario acquirendam, ita demum comprehendat, priusquam in Effectum deducere auſit. Non ineptè certe *Hippocrates*, ab ambigui Eventus Operationibus, ſub nomine & exemplo *Lithotomias*, ita interdixit, ut etiam *Sacramento* abjurare adegerit. Enim verò non ſola ipſius Medici Exiſtimatio, ſed etiam ſanitas, imo interdum vita, Patientis, in periculum hic adduci poteſt: Et eſſet profectò etiam optandum, ut *Legis Aquiliæ* tenor, qui proprie *Chirurgicæ imperitiæ* atque *latæ culpæ* imminet, plus uſus moderni haberet, etiam ad illos ipſos, qui huic parti artis propriè nomen ſed nihil amplius, dederunt, coercendos, ut ipſi etiam recordarentur, quas operationes non *ipſo uſu* callent ab illis ſuſcipiendis *abſtinere*.

XXI.

Quemadmodum autem *Chirurgia* univerſa, *Pars* utique omni-

omnino eſt *Medicinæ* non contemnenda ; *Ars*, inquam, etiam ipſa, *cum recta ratione* effectiva : Cujus etiam *Rationem*, Medicus omninò bene perſpectam habere debet, licet *Manuum exercitium* non æque proſequatur : Ita intereſt tamen profecto etiam reipublicæ, ut *manuales* tales Medici, intra ſuam ſphæram contineantur, nec ex illa latius evagentur, ſeque diffundant. Non jam loquor de iis auſibus, quos *cum recta ratione* ad Effectum deducere, abſolutè extra illorum captum poſitum eſt ; nempe vera *methodica tractatione Morborum*, *internis Medicationibus*, ſeu *intimius ſyſtema œconomiæ corporeæ* reſpicientibus, honeſtè defungi. Sed intelligo etiam illam partem *Chirurgiæ* , quæ vulgo *Medica* appellari meruit, quæ nempè circa extrinſecus quidem occurrentes, & reliquæ adminiſtrationi Chirurgicæ commendandos, Affectus, tamen non per *Inſtrumenta Mechanica*, ſed *phyſica*, craſin humorum, ac intimiorem tonum partium, reſpicientia *pharmaca*, occupatur.

XXII.

Enimverò, licet omninò antè oculos obverſetur, tamen dici vix poteſt, quanti circa hanc rem abuſus quotidie committantur. Ubi non ſolum cujusvis generis *emplaſtica* atque *unguinoſa*, *Cataplasmata*, *Decocta*, ſed & *Septica*, *colliquativa*, è variis *Metallis*, & *ſalibus acribus*, ad *Arſenicum usque*, Audacia Inſcitiæ gemina, in quotidiano uſu verſantur.

XXIII.

Quarum quidem rerum *Abſtinentiam*, optare propemodum potius, quam ſperare licet, in uſitata illa, & ferè *omnibus*, *omnium Licentia*: Interim quoad poteſt, monendo atq; dehortando his rebus conſulere, ſi memor fuerit atque ſolers, Medicus, certe officio ſuo unicè ſatisfecerit. Ne verò quicquam diſſimulemus, inveniet etiam Medicus circà hoc ipſum objectum, a quo *abſtinere* cordi haberc debeat. Certe enim parum decorum eſſe poteſt Medico; ſi peritiorum Chirurgorum aliquis, non tam non ſolum è *multa* (quæ certe reliquæ

inſci-

inſcitiæ parum conſulit) quam *gnavâ*, attentâ, atque ſolerte Experientia, perſpectum habet, quam parum præſidii ſolidi in multis vulgò decantatis *uſualibus*, ac proinde *Officinalibus*, hujusmodi Medicamentis *chirurgicis*, inſit: Aut ad minimum quam parum ſolidi uſus afferat, uſitata, ac proinde in officinis introducta, *Multitudo*, quantumcunq; etiam de cætero utilitatis habiturarum, ejusmodi Rerum, nullo usquam vero ac *reali uſu* diverſo, ſed ſolum *ſchemate* differente, conſpicuarum: Si interim Medicus ipſe harum rerum nihil, vel â ratione, vel ab Experientia, perſpectum habeat: imò vel plane ſuperficiariam harum rerum notitiam, ne quidem ſatis calleat, ne dum ut intellectum earum habeat. Unde profectò etiam ab hujusmodi negligente harum rerum æſtimatione & tractatione, *abſtinere*, antiquiſſimum ſibi ducat.

XXIV.

Porrò, ut equidem è ſuprà dictis *generalioribus* jam fluit, ita tamen vel ſpeciminis loco, & certè ratione *modi*, etiam peculiariter, conſideranda venit, neceſſaria *Abſtinentia*, à negligentiore ponderatione *dubiorum* caſuum, quæ in culpam adducere poſſit Medicum, *Damni*, ad minimum per *improvidam* facilitatem perpetrati. Cujusmodi nempe evenire, non poteſt magis, quam ſolet etiam, non ita rarò, in Medicatione, quantumcunque meritò *ſuſpectis* Perſonis, ſecundum ipſarum proprium arbitrium, ac *inſidioſa* poſtulata, ordinanda; ut fœminis *ſolutis*, *purgantia* temere præbendo, imprimis ad ipſarum præmonitionem ut *fortiora* ſuppeditentur, quia robuſtioris ſint Naturæ, *ſegnis* etiam ad ſtimulos tales, *alvi*, aut *Ventriculi* &c. aut ſi etiam *Evacuationes* verè ex uſu eſſe poſſint, tamen non negligenda ſunt hæc ipſa diſcrimina vera, majoris aut minoris *ſenſibilitatis*, unius ſubjecti præ altero: imò ipſius *ſexus ætatis*, *Aſſvetudinum*, *Morborum prægreſſorum*, & hinc reſiduæ *Diſpoſitionis ſenſilioris*. Quo nempe reſpectu, vix ullum Detrimentum impendebit ab *Abſtinentia* ab *inconſultis* & *audacioribus*, *fortius agendi* tentaminibus; bene verò ab hujus *Abſtinentiæ* neglectu.

XXV. Neque vero ullo modo ſilentio prætermittere eſt integrum, etiam neceſſariam *Abſtinentiam* circa aliqua, quæ *Pharmaceuticen* reſpiciunt. Faciet ibi profectò è re ſua, Medicus, cordatus haberi geſtiens, ſi inconditam illam *credulitatem* circà Energiam *eximiam* ingentis numeri ſic dictorum ſimplicium, gnaviter evitet. *Abſtineat*, inquam, â *multitudine Remediorum*, vel ſuper illo *ſimplicisſimæ*, etiam *rectæ, rationis* dictamine, quod plurium talium, vel *par* futurus ſit, vel *impar*, Effectus: Utroque verò modo *pauca* ſeligere, non integrum magis, quam *utilius* haberi mereatur. Quandoquidem certè rationi ſimpliciſſimæ conſentaneum eſt, quod ex multis *æquipollentibus*, etiam pauca pro uſu commendata habere, optime *ſufficere* poſſit: Ex iis autem quæ *gradu* efficaciæ differunt, *efficaciora* & *meliora* ſelegiſſe præſtet, quam non ſolum *luxuriare* nimiis apparatibus, ſed verius ſubinde *fluctuare*.

XXVI. Neque verò male ſibi conſulet Medicus, ſi etiam *abſtineat* â figuratis illis *Rhetoricis elogiis*, & multiplici ſpe *mirificorum* Effectuum, fovenda, ultra Limites *propriæ conſtantis* Experientiæ. Siquidem certò perpetuò ſecurior hic eſt, & ſane etiam decentior, *Modeſtia*, quoad opus Artificem celebret.

XXVII. Rectiſſime vero omnino faciet, ſi abſtineat â *ſuperſtitione* non magis, quam ſubinde *temeritate*, *Chymicis* præparatis confidentius utendi: Ne paſſim ipſa Experientia convincatur, non ſolum *univerſales Medicinas*, ex illis Blateronum officinis peti non poſſe: Sed etiam longè verius & familiarius, certa *damna* inde reportanda. Cujus rei prædes atque Vades ipſi dabimus, non *Oſores* Chymiæ, ejusque *ignaros*: ſed qui illam aliter, & *opere* calleant, & *ſcientia* intelligant, quam vanis hujusmodi traditionum Poetis, vel in mentem venire poſſit.

XXVIII. Neque verò usquam malè ipſi erit, ſi prudenter *abſtineat*, ab Imaginatione illa, quaſi quocunque tandem modo prolixè præparata, aut variè compoſita, magnopere

præ-

præferri mereantur, *numero* & *utendi modo ſimplicioribus.* Ubi quidem, ſi prius *Experientia* doctus fuerit, plus longè, tam ad *plures*, quam etiam maxime *familiares*, & tamen *ſonticos*, morbos, præſidii eſſe, in *vegetabili* Regno, quam propemodum aliis: Recordabitur ſimul, quod illi, â quibus harum Rerum efficacia ad noſtra tempora veluti transmiſſa, certè moderata commendatione *propagata* eſt, etiam *ſimpliciſſima* qualibet Methodo & *formula* utendi, tamen ab his rebus laudabilem Effectum reportaverint, qui alia *utendi ratione*, vel labefactari, vel penitus amitti, poſſit. Id quod de multis *aquis ſimplicibus deſtillatis*, & *ſalibus operoſius* & *ſpecioſius* comparatis, imo etiam variis *oleis fervidis* & *agilisſimis*, paſſim valet. &c.

XXIX. Ne verò hæc, vel ſolùm planè *in diem* dicta reputentur, vel *rarius* forte uſum habitura, videantur; vel parvi momenti eſſe cenſeantur, ſive *fiant*, *ſive non fiant*; Dabimus hujus rei Exemplum luculentum, in Claſſe Morborum, & *frequentia*, & *difficilibus* plane ſucceſſibus, quam maximè ſpectabilium, nempe FEBRIUM variarum. Quamvis autem longè pauciſſimus futurus ſit numerus talium *Febrium*, in quibus Medico integrum eſſe poſſit, *poſitivam* aliquam *activitatem*, *artificioſam*, adornare atque exercere, placet tamen imprimis *unam*, & illam quidem plus, quàm ullus alius propemodum Morbus, univerſaliter *familiarem*, hujusmodi *ſpeciem febrilem* producere: in quâ non ſolùm communiter inutile atque ſupervacuum, ſed etiam longè certius *periculoſum*, imò *noxium*, ſit, ſi Medicus *artificioſam* aliquam *activitatem* ſuſcipere in animum inducat. Præbebunt autem hoc ſpecimen *Variolæ* & *Morbilli*; maximè autem illæ. Sunt hi affectus, â quibus vix unus è viginti hominibus, per Europam, liber & immunis manet; & tamen è tanto hominum numerò, qui ita Affectum hunc ſuperare debet, immenſum major Pars *ſalutariter* evadit, quam emoritur. Interim hoc nulla certiore via, quam ſi omnis *externa* qualitercunque putatitia *Activitas*, in ſolidum abſit: Et ſoli laudatæ illi *Spontaneæ Ener-*

giæ locus ita liber relinquatur, ut ſolùm quæ ipſi *impedimentum* objicere poſſent, evitentur. Nulla ad demonſtrandam hujus rei Veritatem opus eſt operoſâ obſervatione, cum univerſalis Experientia hoc affatim demonſtret, quod plebis, tam ruſticæ quam urbanæ, liberi, adeo feliciter, & *tranquillè* his affectibus paſſim perfungantur, ut ab his, *directè, qua talibus*, immenſum quantum pauci Vitæ periculum adeant: Cum ex adverſo ex illis, qui qualitercunque *activis artificiis* vexantur, ſi non plane maxima pars, tamen ingens certe numerus, ad minimum in varia incommoda & pericula adducatur, imò minime pauci etiam Vitam ipſam amittant.

XXX. Ubi quidem, licet nequaquam ſimpliciter aſpernemur diſtinctionem illam, inter majus *robur*, (etiam omninò *adſcititium*, & â primis unguiculis *aſſvefactum*, quamvis partem etiam revera *connatum*) plebejorum Infantum, præ delicatioribus, & tam *moribus* ipſis Matrum, quam educatione, mox ab utero materno *ſenſibilioribus*: Confirmat tamen hoc omnino verisſime conſtans Experientia, quod hæc diverſitas *Indolis*, negotium nullo modo exhauriat, ſed ſimpliciter diverſitatem *gradus* aliquam ſuppeditet; Dum interim culpa ipſa vera, & quidem *directa*, in ipſo potius incondito *artificio*, ita reſidet, ut qualibuscunque tandem ſubjectis, hæc eadem *Methodus* adhibeatur, *ſenſibilisſimè* certe oneri ipſis ſit: adeò quidem, ut ſi etiam *robuſtioribus* talibus quibuscunque ſecundum *proportionem*, largiùs atque liberalius injungatur, certiſſimè illi hinc eadem pericula, imo omninò funeſtos Eventus, experiantur.

XXXI. Quandoquidem certiſſimum hinc eſt & infallibile, quod, cum *Variolæ*, non ſolúm *ſpontè* Naturæ, ſed etiam certa Menſura *temporis*, comparere & efflorеſcere: & certo temporis *intervallo* atque decurſu, *placido ſucceſſu*, hunc ſui exitum *proſequi* & abſolvere ſoleant & omnino debeant; ſi, ſub qualicunque etiam reliqua *robuſta*, nedum plane *florida plethorica*, cujuscunque indolis reliquæ, conſtitutione, Patientibus quotcunque intempeſtivo conſilio, *expulſionem* inſigni-

ſigniter *ſtimulare*, & intempeſtive & præcoci conatu, *præmaturè* abſolvere, in mentem veniat, & huic ſcopo ſive *remedia* ſanguinem commoventia ſive ſolum *regimen* intemperanter calidum aut Diaphoreticum, ne dum utrumque conjunctim, adhibeantur; certum, inquam, hinc, & omni modo conſtans eſt, quod omnes ita tractati Patientes, pejus, imò communiſſimè, peſſimè, ad funeſtum usq; Eventum, inde habeant.

XXXII. Et hoc non aliunde, aut ullo alio reſpectu, niſi quod incondita & importuna *Ars*, ibi *actionem* ſibi ſumat, ubi jam ipſa Natura ſufficienter *agere*, non ſolum *poſſit*, ſed etiam revera *ſoleat*: adeoque perverſo hoc labore, non *juvetur*, aut promoveatur, ſed *turbetur* & in *præceps* agatur.

XXXIII. Ita quidem *agere* hic poteſt Medicus, ubi agere plane *non* conveniat. Quantumlibet autem in hoc affectu, *Variolis & morbillis*, non facile eventurum confidamus, ut Medicus activitati illi ſpontaneæ ſimpliciter & in ſolidum *obſiſtat*; quamvis *particulariter*, ut in *facie*, non raro intempeſtiva *artificia* hoc agant, ſed tamen non intendant: Ita eſt tamen, in aliis *Febribus*, & imprimis *Choleriode*, nequaquam rarum hujus rei Exemplum, ut, ſine decente conſideratione, cui uſui imo *Neceſſitati*, illæ *excuſſiones* inſtituantur atque deſtinentur, ſine contemperatione Materiæ, cum ſummo periculo peccatis, ſimpliciter evacuationi ejus, tanquam directo morbido perverſo conatui, per *opiata* non ſolum, ſed etiam *adſtringentia*, reſiſtatur: cum vario patientium periculo: Quod quidem etiam in aliis *febrilibus* æque, atque *chronicis*, *Eliſionibus*, paſſim, valde perverſum Uſum ſubire *poteſt*: Et, utinam! non dici poſſet, *ſolet.* Certe vero, in *ſanguinis* Eliſionibus, loco conſiderandæ ſolum *nimiæ* activitatis, & ordinati *moderaminis* huic conciliandi, ſimpliciter ad cohibitiones *adſtrictorias* confugere, nihil aliud eſt, quam hoc, de quo dicimus, *conatibus Naturæ*, etiam non contemnendis, nedum abſolute *malis*, temere ita *obſiſtere*, ut quidem etiam jam ſupra notatum eſt.

XXXIV. Non poſſumus autem, quin, breviter ad mi-

nimum, licet certe non leviter, notemus, & prudentis æque, atque rerum ſuarum decenter ſatagentis, *Poſteritatis*, neceſſariæ attentioni commendemus, quantum, pluribus modis & reſpectibus, malorum Effectuum & Eventuum, paſſim poſt ſe trahat vulgatiſſimi hodie abuſus *Cohibitio* illa, *bonarum* non minus, quam paſſim etiam *neceſſariarum*, *ſpontanearum* Naturæ Exonerationum, per *Narcotica*. Manebimus autem hac vice in illa modeſtiſſima interpretatione, quod talis abuſus ſolum per inconſiderantiam fiat, nunquam autem per *fraudem*, â ſciente atque volente profectam, ut ſolum jactari poſſit E- „ nergia ſuæ artis, & quod Remedia utique, quoties uſurpan- „ tur conſpicuum bonum Effectum exhibendo, Dignitatem „ ſui ob oculos ponant: Sed ſolum prævalidum virus, aut Na- „ tura jam nimium enervata & exhauſta, aut ab initio Morbi, „ non paris Virtutis remediis ſuffulta, adeoque peſſundata „ prævalida Morbi vi, erigi amplius ſufficienter non poſſit, &c. „

XXXV. *Omiſſionem* autem & *neglectum* officii ſui, poteſt Medicus, tum alibi paſſim, tum etiam in allegatis ſpeciebus, ipſis *Variolis & Morbillis*, exercere, quando ſalutaria monita, de cavendis debiti *Regiminis* in utrumque *extremum* declinationibus, inſuper habet proponere & injungere. Aut etiam pro *chronicis* Affectibus, utiliſſimas tempeſtivas *Ventilationes Sanguinis* ſuadere, obliviſcitur, ſed econtrà, ſemper ipſas Exacerbationes demum exſpectat. Ut nihil dicamus, de eo, quod vel ipſis his nominatis *Ventilationibus*, ſatis *tempeſtivè* propoſitis, *Aſſuetudo* ſubſequens hujus modi inde pullulantium affectuum *chronicorum*, quæ ita *præoccupari* poſſet, differri certè, aut multum debilitari, ſic temere inſoleſcere & inoleſcere permittatur.

XXXVI. Quemadmodum autem præter hucusque dicta, proximus gradus eſt *perperam* agendi, quando bonæ & utiles Intentiones, *alieno tempore atque* modo exercentur: Ita habet certè, vel in ipſo eodem *Variolarum* atque *Morbillorum* Exemplo, hujus commatis locum, *intempeſtiva* Applicatio ſeu *remediorum* ſeu *regiminum*: Tanto magis autem in aliis

liis

liis, *Febribus* æquè, atque *chronicis* Affectibus, neglectus *ſubordinationis Secretionum*, & *Excretionum tempeſtivarum*, poſt uſurpata qualiacunque, ad hos maximè ſcopos collineantia, & ſano ſenſu ad eos *præparantia*: Quo quidem nomine plus ſemel offendi poteſt. Si v. gr. *Diapnoico-Alexipharmaca* offerantur, eo *tempore*, quo nulla talis Evacuatio locum inveniat: Aut, ex inani Opinione, quaſi talia remedia *venenum* malignum, *directè* & ſimpliciter edoment atq; ſubigant, ſubordinandas debitas *tranſpiratorias* noxiæ Materiæ Exhalationes, & eo pertinens prudens *Regimen*, reſpicere non neceſſarium reputetur. Ubi quidem quotidiana Experientia teſtatur, quod etiam ſolùm impatienter incontinentibus ægris, adeoque *ſudoris* ſucceſſui non debitè obtemperantibus, exhibita talia, loco Levaminis, â *placida* illâ Exoneratione reportandi, nihil niſi *anguſtias*, *anxietates*, & harum architectum, *concluſum æſtum*, & *Exagitationem* Sanguinis ita fervidiorem, inducant, ſolo debiti *ordinis*, obſervandi atque commendandi, defectu.

XXXVII. Enimverò, poteſt etiam hoc ipſum modò citatum Exemplum, ſpecimen exhibere ejusmodi auſuum, â quibus *abſtinuiſſe*, omnibus modis ſit melius, quando v. gr. in ipſis *Variolis Alexi-pharmaca* talia remedia, inani illo ſcopo, *Virus*, ſeu Vires *Malignitatis*, infringendi, obtruduntur. Quibus quidem nihil hâc ſpe dignum obtinetur: Benè verò longè certiore illorum Efficacia, Sanguinis exagitatoria, tranquillitas placidæ Eruptionis interpellatur, & in *intempeſtivas* æque, atque *nimias* Commotiones exſtimulatur: facillimo ſiniſtro, ad ſummam totius negotii, Eventu.

XXXVIII. Quamvis autem *Univerſalis Medicinæ* forte nulla ſpes affulgeat, ad uſum in *Variolis* & *Morbillis*; promiſſum etiam illud grandis hiatus Helmontianum, de *Mercurio* illo *Diaphoretico* ad *Febres in genere*, certe hucusque nihil, niſi ingentem hiatum in Scientiâ, reliquerit: *Kergerianum* etiam, unum ad omnes *ſine Diſtinctione*, Febres, Remedium, innominatum, æque, atque nominatum illud, *Mortonianum*, & ſecurius quidem hôc, ſed non multo certius, *Apinianum*, *nocere* certius hic posſint, quam *prodeſſe*: Plus certe adhuc Animadverſionis meretur prætextus ſpecialioris, imo *ſpecificæ*, in hôc caſu efficaciæ, impudendo profecto auſu ad hos Uſus propalatorum, *Mercurii Vitæ* per *Nitrum* fixati, & *Coronæ* (ſed Scholaſtico more ſic dictæ:) *Cornu Cervi*, quantumlibet *Philoſophice*, nempe *Coquarum*, artificio præparati, uſus. A quarum certe Rerum aſſeve-

ſeveratione, non ſolum prudentius, ſed omninò honeſtius ſit, abſtinuiſſe, ne *Lex Hippocratis* violetur.

XXXIX. Sicut autem jam etiam ſupra deſignavimus, *activitatem*, proprio auſu aliquid moliendi, â Naturæ jam in actu conſtitutæ Intentionibus *diverſum*: Ita, cum tamen rerum ordo ſuaſerit, ibi potius de *contrariis*, quam ſolum *diverſis*, actionibus, Sermonem habere, ſupereſt etiam horum *diverſorum* auſuum, in noſtro hôc uno ſpecimine, aliquid commeminiſſe. *Evacuare* quidem illic primas Vias, prius, quam expulſionis negotio Natura ſe accingat, eique jam propius inſiſtat, nihil eſt ineptum; Ita tamen, ſi in Patiente uno præ altero, vera cujuscunque ſaburræ præſentia obſervetur: & ante omnia *temporis*, deinde etiam *ſtimuli*, modus, providè ſervetur, atque ratio habeatur. At verò, ſine hac *cautione*, hanc ſibi Libertatem ſumere, eſt certe cœptum, â quo *abſtinuiſſe*, perpetuo ſit melius. Ita etiam profectò *Vomitus* indiſeretus uſus, in his iisdem affectibus, præſertim minus *fido* aliquo atque *præſentaneo*, ſtimulo, quid nobilis Uſus habere posſit, plura pasſim teſtantur exempla. Ubi quidem inſcitiæ craſſæ fuerit, provocare, pro reliqua inconſiderantia, ad Viri, magn dexteritate in tali negotio verſati, exemplum. Cum enim etiam alias multoties, *duo cum faciunt idem, non ſit idem*: Ita tanto minus, cum *non idem* faciunt. Quod vir ille, ſuis meritis Illuſtris, *Methodo* facit, non ferendum eſt, ab illis profanari, quibus vix nomen placere poteſt, res certe nusquam placet. Neſciunt hi, immo contemnunt, diſcere, quod hic Vir, ſolum, *Vomitum ſine alvi ſolutione*, tantò minus autem, *alvi ſolutione Vomitu*, minimè probet, nedum perpetret: Sed etiam â *Purga*-, ſeu directa ſimplici *ſtimulatione* alvi provocatoriâ, *irritatione*, inquam, *alvi* ſolutoria, *qua tali*, quod ego Præſes ex ejus ore habeo, etiam abhorreat: Sed plane *ſpecialiſſimo* Remedio hic inſiſtat, peculiaris placidæ *Fernentationis* in *M*aſſam humorum introducendæ, compoti. Quod ſane inſtitutum, longè abeſt ab illa crudâ, & prout in mentem irruit, talium rerum tranſſumtione, ut inde nihil aliud naſci posſit, niſi illud, quod Pueri ludunt, *par impar*.

XL. Hæc quidem, ſicuti etiam ſua, quod ajuntur luce radiare posſunt, quomodo propemodum in uno Exemplo, certe in uno genere febrium, pluribus reſpectibus, *Abſtinentia* locum ſibi vindicet; Ita, cum reliqua utilisſimæ, imo neceſſariæ pasſim, *Abſtinentiæ* ſpecimina, vix exemplis indigeant, ſub quorum ſchematibus producantur: poterimus, ſpero, bono jure his acquieſcete, & cœpto noſtro pro virili ſatis feciſſe videri. Unde etiam deſiſtimus: omnino vero Divinæ Bonitati, pro præſtita nobis gratia & auxilio, grates humillimas ſolvimus, & ut nobis aliisque, â rebus inutilibus atque noxiis abſtinendi, animum atque Vires largiatur, ſeriis Votis atque precibus exoramus.

FINIS.